



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BANFORENSIS** IN BURKINA FASO NOVA  
CONDITUR DIOECESIS BANFORENSIS Cum suo tempore efflagitatum sit ut dioecesis Bobodiulassensis in Burkina  
Faso divideretur, ut loca civilia vulgari nomine « Comoé » et « Léraba » inde subtracta novam nuncupandam posthac  
Banforensem converterentur in dioecesim, Nos nimirum ipsi Congregationis pro Gentium Evangelizatione obsecuti  
consiliis hac eadem in re atque prorsus Nobis persuadentes talem partitionem in aeternae salutis commoditatem inibi  
viventium christifidelium esse cessuram, haec quae sequuntur pro apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine statuimus  
servarique iubemus in perpetuum. Superiora loca memorata abstrahimus a ditione Bobodiulassensi ex quibus novam  
condimus laetantes dioecesim *Banforensem*, metropolitanae scilicet ecclesiae Uagaduguensi suffraganeam atque  
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam. Eius autem statuimus episcopalem sedem in urbe «  
Banfora » ubi templum Sanctis Petro ac Paulo sacrum ibidem ad dignitatem evehimus Ecclesiae Cathedralis, omnibus  
simul additis iuribus atque privilegiis quae id genus sacris congruunt aedificiis. Reliqua vero cuncta ad eandem hanc  
dioecesis institutionem ex sacris canonibus pertinentia religiose nimirum pleneque servari volumus, quibusvis rebus  
haudquaquam obstantibus. Destinamus autem interea Venerabilem Fratrem Aloisium Ventura, Archiepiscopum titulo  
Equiliensem atque Apostolicum Nuntium in Burkina Faso qui haec Nostra ad amussim exsequatur rite decreta ac  
mandata. Re tandem peracta documenta exarabuntur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium  
Evangelizatione cito mittentur. Omnem quidem Apostolicam hanc Constitutionem tam nunc quam in posterum omne  
tempus ratam esse volumus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini  
millesimo nongentesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XC (1998), n. 12, pp. 930-931 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana